

Bibliothèque numérique

medic@

**Bellot, Louis-Florentin - candidat /
Barfeknecht, Otto-Casimir - président.
- An Febri Putridae Picardis Suette
dictae Sudorifera ?**

1733.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2327 n°84***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax06x0084

323

84.

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die vigesima-sexta
Novembris anni M. DCC. XXXIII.*

M. OTTONE - CASIMIRO BARFEKNECHT,
Doctore Medico, Præside.

An Febri Putridæ Picardis Suetæ dictæ Sudorifera?

I.

OMNES una manet nox; at non omnes Libitinæ eodem cultro cæduntur victimæ. Aliæ seriùs, ociùs aliæ, maectantur. Interdum, veluti reluctantibus fati mori dedisceretur, furit atrociùs immanis Dea. Nec rarò, quasi mortalibus sua mala non sufficerent, aut usu fierent leviora, nova deterioraque ingruunt. Quodcumque vitæ stadium attigeris, ubique naufragium est. Sed nusquam violentiores procellæ seviunt, quam cum humano generi repentiè insultat novum inauditumque morbi genus, incautosque aggreditur. Non sine horrore suum sudorem aliis etiam infensum regionibus recordatur Anglia. Manent altâ Medicorum mente repositæ febres Pannoniæ, aliæque complures Epidemicæ lues mille famosæ funeribus. Inter morborum epidemicè hanc vel illam regionem infestantium familiam, alii post primos furoris impetus evanescunt; alii verò, quam sibi elegerunt terram, nusquam deserrunt, & etiamsi inducias facere quadantenus videantur, de novo, quasi ex conducto, repullulant. De genere hoc est Putrida febris, quam anno 1718 immundus Neustriaci littoris halitus in ^a Vimefium evomuit. Quæque celeri pede evagata ^b Abbavillam irrupit, mox totam ferè Picardiam, vicinaque loca, devastatura. Morbus hic, si tempora spectes, acutissimus, si genium, malignissimus, si symptomata, atrocissimus, si deniquè exitum, periculosissimus. Quolibet anni grassatur tempore. Æstate tamen & Autumno frequentius, funestiusque. Urbium, campestriumque locorum incolis æquè familiaris. Senes rarò, infantes puerosque, rariùs exercet. Causariis nondum cognitus, sive in illis jam effœta sanguinis principia, sive solidorum hebescentes potentiæ, ad tot incendia efferosque motus concitari, minimè valeant. Ab illius insultu adultos non vindicat sexuum diversitas, non corporis firmior textura, non vires athleticæ. Immo valentiorē vegetioremque scias morbi delicias esse. Quos semel torfit, à suis immunes cruciatibus non dimittit, ludum insolentem ludere perfinax, lues. Visi sunt quos dicto mense quotannis infestavit. Visi etiam ab eâ jugulati, quos antea ter quaterve lacessiverat. Modò intrà diem occidit, modò diebus

^a Le Pays
de Vimeu.
^b Abbeville.

A

sequentibus, raro post septimum. Ubi pedem alicubi figit, pauci sanitati restituntur quos primos arripit. Hanc nulla fere antecedunt aliorum morborum signa praenuncia. Sed subito miserum adoritur stomachi dolor gravans, ingensque virium lapsus. Aut dolet caput, aut caput obtundit dolor. Angunt pectus suspiria, spiritusque difficillimè trahitur. Summo extorretur corpus incendio, rore acti putidoque diffuens. Infestant nonnunquam nausae. Scintillant oculi, rubet facies. Humida veluti sanorum lingua, praemit agrum sitis ardens. Pulsus interea frequens, undosus, nec renitens admodum. Horis aliquot elapsis, accedunt iactationes corporis, & pruritus intolerabiles. Efflorescunt supra cutem denso agmine pustulae rotundae, rubrae, & eâ magnitudine praeditae, cujus esse sinapi semen diceret. Tunc tetto odore qualem praeseferunt spiritus urinosi volatiles, & ager inficitur, & alios inficit. Alvus quandoque soluta, quandoque compressa est. Urgent vigiliae, vel si quae spes affulget somni, hanc horror brevi discutit. Quibusdam è naribus stillat sanguis ad lipothymiam usque. Saepe, nec statâ periodo, foeminis erumpunt menses. Urina, modò pauca, etiam si eruda, modò copiosa, redditur. Ubi delirium imminet, alba est fusèque profuit. Tunc nictant palpebrae, aures obstreperunt, ager insulsa deblaterat, sese quaquaversum iactat. Pulsus durus, tensus & frequentissimus, itemque respiratio crebrior fit. Vultus rubore perfunditur intensiori. Paulò post, veluti flumine adactus aegrotans, veterno corripitur, summoque calore aestuans animam expuit, plerumque cum sanguine. En lues quemadmodum saevit, cum eodem tempore ruit in plurimos. Verum non eadem omnes invadit armatura, non eodem impetu. Aliis secundo, aliis tertio tantum morbi die, erumpunt pustulae. Quae, ubi salva res est, septimo albescent, mox, furens instar, cutem missurae. Nec eadem omnes exercet febris, modò sine lege violentissima, modò sine lege remissa. Initio morbi, ne te deludat symptomatum remissio. Quem, sub aurorâ, vix vexabat febris, nulla fatigabat praecordiorum anxietas, nec calor intensus, nec subsultus tendinum, cui nec sudor defuerat, nec pustulae aruerant; vesperè, phrenitis, eamque presso pede sequens veternus, ex improvviso sustulit. Luem hanc exasperant spontaneae, quae in aliis affectibus levamen afferunt, evacuationes. Si cautus fueris, non semper fides signis etiam melioribus. In mediis sudoribus diffatur anima; malo comprimitur, malo fluit alvus omine, quid tetri minatur uberior urina; mentitur delirium tranquillitas, veternum vigiliae. Nec semper aperto Marte saevit. Habet & cum aliis aegritudinibus communes larvas, insidiasque. Ubi semel grassata est, ab illius impetu sibi caveant, quos vel cruciat Pleuritis, vel Febris ardens, vel alia quaelibet affectio, quam fecit, aut humorum evolutio nimia, aut sanguinis phlogosis. Plurimos in tuto credidisses Pleuriticos, quos in ipso salutis limine strangulavit. Illam tunc praedicere, quam arcere, facilius. Statim atque enim, vel infacti sudores, vel sanguinis iusto fluidior crasis, colliquationem monstrant imminere, scire licet in propinquo luem esse. Sic qui ab uno sibi timebat affectu, ab alio, inexpectatoque, periit. Discrimen tamen inest pustulas inter, quas secum importat, dum sanos inficit, & eas, quas prodir, cum aliis morbis supervenit. Haec pallidiores sunt ut plurimum, & minus intensa rubedinis, albescentque citius; illae rubent magis, diutiusque. Ex eorum numero, qui, sospite vitâ, iratum hoc mare peragrârunt, nonnulli per menses, alii solido anno citrà febrem, somnique iacturam, sudoribus nocturnis maduerunt; micantibus utcumque pustulis à levissimo frigore evanescentibus. Adeo visceribus infixâ medullisque stabat labes! Jam, qui morbi genium noscis & mores, illius tenes causam, si, tot malorum fontem, Putredinem dixeris.

I I.

P R I M A R I A M omnium fere Endemiorum Epidemiorumque morborum originem, in aërem refundere, ne dubites. Scilicet, in illo corporum omnium subtiliores partes evehi, misceri & immutari, nemo non faterur. Quae quidem pro varia indole, pro vario sole varioque concursu, diversas formas induere, diversaeque

5

morborum, si corporis cavitates attigerint, procreare possunt femina. Quot epidemiorum affectuum discrimina, tot vides miasmatum discrepantias. Quorum naturam & vires, qui à priori vellet explicare, Philosophi partes ageret, non Medici. Si tamen adhibenda fides effectibus, putredinem, à quâ febris nostræ symptomata fluunt, ab aurâ salino sulphureâ perniciosissimæ mobilitatis proficisci, non temerè dixeris. Ab eâ totum aërem inquinari, idcirco non asseras. Sed certis de causis explodi, & turbinis instar volvi, donec in hunc, illumve procumbat locum. Sic, intactis sæpe vicinis locis, in uno commoratur. Sic etiam, relictis intervallis, longè latèque se diffundit. Nec illam omnibus æquè perniciosam credideris. Ut vires suas exerat, adsit in humoribus ad æstum propensio, pronitas ad erethismum adsit in fibris, necessum est. Haud aliâ ratione, quæ senibus puerisque parit, tetra lues, adultos sanguine plethorico fervidos, aut morbi debacchantis pavore confectos, aggreditur. Subita virium prostratio, respiratio difficilis, caput stomachumque dolor gravans, aliaque invadentis morbi symptomata, satis superque declarant solidis partibus primò venenosum hunc halitum insultare. Irritatis enim crispatisque ab insolenti venenatâque aurâ nervis, succorum impeditur circuitus. Unde in minimis præsertim tubulis nectunt moram. Delato subinde ad sanguinem veneno, illius tota rarefcit, quæ brevi putrescet, moles. Accipe nunc labentis humanæ machinæ ruinam. Qui sese cruori miscuit ignium subtilium ferax halitus, illius ita disjungit exagitatque partes, ut minor sit globulorum inter se contactus, ac proinde compages rarior. Majus itaque spatium occupare conabitur tumens sanguis, major ejusdem erit, in vasorum parietes, nisus. Fortius ideo crebriusque contrahentur illorum tunicae. Unde cruoris momentum crescet, pulsusque velocitas. Perspectam nunc febris calorisque tenes originem. Aucto versùs vasorum fines sanguinis impetu, lubrico lapsu sese expedire cogitur, quidquid humorum massa ubique compressa serofi continet. Hinc sudor oborietur non admodum foetidus. Expressis ac pæne exhaustis à continuo sudore aquosis particulis, evolvuntur dissociabunturque alia, quæ sibi debent adherere, partes sanguinis. Utpote quòd ab igneâ materiâ intus divulsæ, & à ferocientibus fibris susdeque quassatæ, è vinculo dissiliunt suo, mox patrias relicturæ sedes, perque invia loca divagaturæ. Quid mirum igitur, si sales jam sui juris facti, nerveas sollicitando fibras, pruritus concitent, rubrasque sanguinis partes per sudoris calles angustos secum abripiant? Quæ ubi cutis perforaverunt ostia, dum tenuior earum dilutiorque portio vanescit in auras, sub epidermidis colliguntur squammulis, novarumque appulsu pustulas efformant. Jam, qui ubertim antea dimanabat sudor, sub vaporis acris putidique formâ diffluit. Cujus discriminis causam attingere, vel in Chymicis leviter versatus facili negotio poterit. Noscet ille sales in animalium liquoribus contentos, acrem, alkalinam volatilemque nancisci indolem, quotiescumque aqueos humores, à quibus diluebantur, discussit calor. Idem, oleosas eorum partes salibus illis acribus permixtas, volatiles foetidasque fieri, intelliget. Eapropter, tenuissima tetrique odoris effluvia, ubi eò devenit incendium, è corpore diffilari, ne mireris. Nec stupeas, humorum aut nullis, aut pravis legibus obsequentium, deliria. Siquidem, ab importunis evolutorum salium spiculis lancinata nervorum fibrilla, modò hîc, modo illîc, spasmos ineunt. Interclusis hæc de causâ, æstuantibus summèque mobilibus liquoribus, in unâ parte viis, aut à calore impetum nacti repagula disrumpunt, aut, quâ aliàs datur porta, facto agmine transvolant. Ex inordinatis istis tumultuariisque motibus, sibi ubique dissimilem naturam reperies. Nunc ruptis vasis hæmorrhagias, vel ad viscera vi sibi viam facientibus protervioribus succis colliquationes fieri; nunc penitus sisti, nunc etiam enormes urinarum & alvi evacuationes esse videbis. Neque hæc omnia putes contingere posse, quin crescat febris, crescant & corporis angor calorque. Certo sanè indicio ab istis evacuationibus morbum exacerbari, non levare. Quantacumque sint enim quæ de putredine, adeòque de sanguinis partium dissociatione nasci mala novisti, imminent adhuc graviora. Increbescente, ut jam diximus, cordis arteriarumque *systole*, quid superest, nisi ut residuæ sanguinis partes, quarum recessus intimos evolvit denuò putredinis ardor parens, sibi, per minimos scri

A ij

4

lymphæque tubulos, viam faciant. Sanguini sic è solitis vasis errare gestienti favent & ipsius liquata compages, & patentiores, ab acribus summoque impetu arietantibus, facti, lymphaticorum serosorumque ductuum, aditus. Invis itaque sese innuabit, unde referre pedem non poterit, sedibus. Tunc de ægro brevi conclamatum iri rectè pronuncies. Ad cerebrum æquo passu fertur, illiusque totam penetrat substantiam, qui in cunctas corporis partes abnormis currit, prout extus intusque cogitur, cruor. Hinc validè succussis cerebri fibrillis, turbantur ea loca quæ frequentat animus. Fractis demùm à jugiter appellente sanguine vasorum tunicis, nervorum comprimuntur origines, unde sequitur veternus, noxque æterna dormienda est. Quod si hæc omnia à putredine oriri inficias iveris, eorum, quos jugulavit morbus, inspicere cadavera. Tunc sententiæ nostræ non invidetis suffragium. I nunc & sudoriferis novas, dum corpus flamma depascitur, accende faces in præcordiis.

I I I.

QUID præstat morborum causam attigisse, si, non intellectis medicamentorum virtutibus, illam aut foves, dum debellare satagis, aut auges, dum minuire est animus? Hunc ægrotantibus adeo perniciosum errorem ut vites, totis incumbere viribus. Quid agant in partes corporis solidas fluidasve, quibus uti mens est, remedia, cautus respice. Sic opio, vasis sanguinis mole redundantibus, aut penuriâ discrasive languentibus, manum abstinebis. Sic Kinam Kinam nec ad omnes, nec ad solas relegabis febres. Sic etiam sudorifera, præsentè humorum colliquativa putredine, cane pejus fugies & angue. Ad sudorem eliciendum requiruntur multa. Accelerari postulat sanguinis motus, ut ille frequentius ad extimas corporis oras appellat, glandularumque cutis ostia pulset validius. Quæcumque cor ad celeriores vibrationes stimulant, illa sudationem inferre constat. Indè sudoriferorum pleraque præ cardiacis etiam usurpantur, cum eadem ferè sit utrorumque medicamentorum indoles. Præterea tenaciori vinculo minimè coherere debent sanguinis partes, ut leviori negotio possit à reliquis molis compedibus expediri latex serosus. Hinc, laxiorem sanguinis texturam nacti, levissimâ occasione in sudores exsolvuntur, ut in Phyticis palam est & convalescentibus. Pateant denique cutis spiracula, ut possit admitti serum & eliminari facilius. Ex his intelliges, quibus, gaudere debeant Hydrotica, principiis. Quapropter, si eorum attendas familiam, illa particulis summè mobilibus constare fateberis, quæ sanguinem exagitare valent & dissolvere, vasorumque *systolen* adaugere. Ex omnibus quæ sudoriferorum internorum nomine veniunt, nullum, nisi à sulphure, aut sale volatili quo turget, suas vires exerit. Quæ quidem principia vividiores aut segniore operationes exercent, prout in medicamentis plùs aut minùs reperiuntur. Quædam ità celeriter dissolantur, ut acidis ligari indigeant, qualia sunt Opiata. Quædam altius ità reconducuntur, ut ignis ope extrahi postulent, qualia sunt spiritus & sales volatiles Chymicorum. Sed quemcumque lapidem moveas, illa tantoperè decantata sudoriferorum virtus, nil ferè præter incendium suscitatur, nisi aquâ calenti immergatur. Adeò ut peritissimos meliorisque notæ Medicos dubitasse mirum non sit, num ab aquâ potius, quàm ab istis remediis sudor promoveretur. Licet enim sanguinis molem agant & dividant sudorifera, si salium sulphurumque quibus pollent scrutatus fueris vires, stimulantia deprehendes, quæ solidas omnes quas præterlabuntur partes, ad irritationem concitant. Undè viæ sudoti minime paterent, nisi ferventis aquæ largo potu id præcaveretur incommodi. Quamobrem, si indoctâ porrigantur manu, infelices tam sæpè fortiuntur effectus. Et etiamsi, condensatis humoribus, obrutisque fibris, quamdam salutem spondeant, non temerè, nec nisi evanescente vel levissimâ erethismi suspicione, usurpanda sunt. Quanta verò secum importent mala in febribus ardentibus, & in iis præcipuè, quibus causam præbuit humorum putredo, quis sanæ mentis non sentit? Quis adeò medicis in rebus inexercitatus, ut non intelligat, ab Hydroticis febrisque nostræ causâ, similes effectus produci, nempe dissolutionem sanguinis & solidarum partium

erispaturam? Et sanè, dum flammis aestuat succorum moles, dum illorum solvuntur vincula, dum spalinis hinc & inde corripuntur fibræ, quid ab iis non metuendum? In ventriculum & intestina delapsa, quos inibi offendunt, calcar addunt humoribus, nec non obvias, spirituosas salinisque suis principiis, fibras tendunt ulteriùs. Indè crescunt anxietas, sitis, abdominis tensio & alia symptomata, quæ viscerum phlogosim arguunt. Quòd si communem sanguinis oceanum sudoriferorum virtus penetraverit, quantas in eo turbas excitabit! Finge tibi liquores intestino motu ebullientes, & insanâ vasorum *systole* propulsos, quibus ardoris colliquationisque novam suppeditas materiem. Turgidior idè factus mobiliorque sanguis, ubique vasorum arictat, illius serosæ partes dissipantur celerius, promptiorique fugâ cæteræ dissiliunt. Adde quòd, solidorum jam sinè lege colluctantium, multiplicantur impetus. Reverâ statim atque hydroticorum activa principia in purpureum devenerunt laticem, veluti totidem igniculi, subvertunt illius compagem, undè vires adipiscitur putredinis fomes. Ista sudoriferorum damna satis declarant hæmorrhagia, deliria, interiorum & exteriorum æstus intensior, corporis irrequieta jactatio, durior crebriorque pulsus. Quæ quidem ingravescens orgasmus, partium sanguinis evolutionis auctæ, illiusque crescentis incendii, certissima signa sunt. Et certè si hæc exemplis firmare foret animus, fidem facerent tot ægrotantium funera, quos à calidis istis spirituosisque remediis potius, quam à morbo periisse constat. Nec temerè dictum putes, quòd rationi simul & observationi consentaneum est. Etenim, eò citatiori motu sanguinem volvi, quò frequentius cor & arteriæ contrahuntur, eò validius etiam distendi vasa, quò magis ille rarefcit, apud omnes in confesso est. Vasa autem quæ majori dilatationi patent illa esse, quæ tenuioribus conflantur tunicis, nullâque firmâ circumjacente substantiâ fulciuntur. Eaproptèr, exilissimos tennesque cerebri tubulos, dum cruoris augentur velocitas & superficies, omnium quæ dantur in corpore, distensionis ruptionique proximos. Jam verò febrem nostram à rarefcientiâ exordium sumere, funestamque fieri, demonstravimus. Quæ cum ita sint, tumens & limitibus contineri impatiens sanguis, accedente sudoriferorum actione, in vasorum fines sic impinget, ut præ nimia distensione rumpi cogantur. At quoniam exiles cerebri ductus tanto cruoris impetu sustinendo sunt impares, eorum tenues admodum tunicas primò distendi, rimisque tandem fatiscere, extrâ omne dubium est. Aude extinctorum cadavera rimari scrupulosius: totam cerebri substantiam rubore perfusam reperies. Ex hydroticorum usu, sua etiam aliis damna visceribus imminet, cum ubique phlogosim, irritationem ubique suscitent. Nec minùs periculi secum invehit, quæ ad sudorem eliciendum tandiù viguit, illa stragulis ægros & operimentis exonerandi methodus. Quippe quæ respirationis instrumenta gravando, & corporis ardorem augendo, colliquationis opus, sudorisque noxas accelerat. Hallucinantur enim, qui à sudatione hujus morbi curationem reposcunt. Quasi rivis uberioribus profluens sudor, crescentis itidem illius, & invalescentis causæ, non foret indicium.

I V.

IN eo præcipua versatur Medici sagacitas, ut acutè de morbi judicet ingenio; nec non augeretur ex evacuationum quæ ad illum pertinent tempore, materiâ, quantitate, num illæ sint triumphum naturæ molientis beneficia, num ejusdem errantis indicia. Quem igitur morborum non fugerit indoles, non luserit evacuationum dolus; illum, ad eorum curationem suscipiendam, aptissimum esse, rectè pronunciaveris. Ut potè qui, naturæ motuum utilitates & noxas effectibus metiendo, quæ sistenda sunt, compescere, quæ vero permittenda, promoveri, prudens conabitur. Utinam hanc calassent viam, qui putridâ febre de quâ nunc agitur laborantibus, primi manus auxiliiatrices admoveere tentârunt. Excusio de sudorum & pustularum emolumentis errore, temperandis iis potius, quam provocandis, dedissent operam. Nec pro salutaribus proficuisque crisis habuissent, quæ, velut symptomata, debebant impugnare. Rati videlicet, à liquato sanguine fluere sudores & nasci pustulas, illius impetum & divisio-

nem sudoriferis & cardiacis adaugere credidissent piaculum. At inquires, non satis est hydroticorum damna reserasse, cedo alia, quæ tutius hunc debellent morbum, remedia. Imò etiam præstò sunt, quæ à sudoriferis toto cælo discrepant, nempe missio sanguinis, acidorum pleraque, absorbentia, & cum laxantibus, emetica. Quorum si perpendas facultates, eas, non ut hydrotica, motui sanguinis accelerando, sed cohibendo, restinguendo fervori, præcludendisque in interiora corporis auræ venenatæ viis, habiles & aptas esse, competies. His instructum telis raro deferet victoria, si dirigit ictus prudentia. Exploranda imprimis, ut illa votis respondeant, occasio, celeriterque, dum se præbet, arripienda. Cum à solis remediis curationis spes fulgeat, cunctari nefas esse memineris. Incipiente igitur morbo, largâ manu funde sanguinem, iterumque funde. Depletis vasis majoribus, interpositâ minùs horâ, stibiato tartaro submove ventriculum. Hac arte, circuitûs solvuntur obices, humorumque primis in regionibus stabulantium egestione, noxia, quæ totam œconomiam subverterent, arcentur à sanguine, miasmata. Nam, in omnibus qui ab inquinato aëre ducunt originem morbis, pro certo teneas, ventriculum & intestina plerumquæ primùm affici. Quid enim aliud testantur Pictonum colicæ symptomata, & quæ variolarum, aliorumque morborum Epidemicorum insultus ferè semper nunciant, faucium inflammatio, vomitus enormes, aut alvi prodigiosa dejectio. Nec aliâ de causâ, vomitorio propinato, quæ secus tragædias exerceret, cessât suffocaturque febris nostra. Quòd si sanguinis rivulus effluvia jam subierint, in auxilium advocanda sunt, quæ illum intra sua vasa possunt continere. Posthabitâ igitur de pustulis & sudoribus omni sollicitudine, rarefcentiam imminuentemque putredinem acidis coercere, sit tibi propositum. Laxantibus etiam, qualia dixeris tamarindos, cassiam, serum lactis, nimii sudores moderandi sunt, ubi, celeriori quam volueris passu, feruntur humores ad pomœria corporis. Licet enim spontaneis alvi dejectionibus hæc exacerbetur febris, ratum habeas semper profutura laxantia, cum liquores versùs peripheriam divagantes, leniter ad centrum reducendi sunt, & temperandus ardor viscerum. Ab erethismo disce quæ mala portendat, dum sponte fluit, alvus; ab erethismi cessatione, disce quæ bona promittat, dum ducitur laxantibus. Hinc, ejusdem evacuationis à causâ dissimili pendentis dispares exitus, non miraberis ampliùs. Quotiescumque etiam colliquationis proximæ putridi vapores argumenta suppeditant, absorbentibus acidis maritatis humorum compages densanda tibi est, ne à se invicem diffocientur eorum partes, & solitis exterminentur sedibus. Neque te terreat agrotantis anxietas, si quandoque post hæc remedia contigerit, ut supprimantur sudores & pustulæ collabantur. Habes enim in missione sanguinis undè citò tumultum hunc sedare valeas. Tantò magis expedit succorum redundantium immixtionem Phlebotomiæ, quam sudoribus, committere! In hoc te exerceto, ut quæ usurpaveris remedia symptomatum sævitia respondeant. Quò sanguinis astus intensior, eò potentioris energiae felices acida, quò sudores uberius erumpent, eò sapius subduces alvum laxantibus, quò durior pulsus & elatior, eò generosiùs mittes sanguinem. Interea, cave ne te decipiat dolosa tranquillitas. Relictos iterare cursus, fucata quietis imagine non rarò meditatur hæc febris. Quæ foris extincta videtur vires intus clanculùm causa recolligit, mox datura symptomatum progeniem deteriore. Ne igitur à remediis abstineas, nisi, cum sudoribus evanuerit ardoris interni testis odor, & jam suo defraudatæ pabulo albicantes aruerint pustulæ. Tunc, si febris unâ decesserit, & sexta septimave morbi dies exorta fuerit, fide signis non mendacibus. At, si primis diebus, post illam, quæ tibi credulo nimium imposuit, tranquillitatem, supervenerint aurium tinnitus, nictus palpebrarum & leve delirium; te tuæ pœnitebit fiducia, nisi Emetico-cathartico, præsentem mortem fugare properaveris. His in angustiis, ad istud remedium, tanquam ad sacram salutis anchoram, confugiendum. Etenim, ne versùs superiora factâ explosione turgidus appellens sanguis cerebri vasa citò distrumpat, & inibi funestos sibi pandat exitus, Artis est, abdominis claustra mœlico reserare, petulantibusque liquoribus negatum iter ad caput meditantibus, vias minùs periculosas per emunctoria ventris aperire. Hoc præsidio, plurimos ab orci faucibus creptos, vidimus. Vix enim ad ex-

7
 pulsionem ventriculum & intestina sollicitavit remedium, jam recedunt, quæ metum instantis lethi incuriebant, symptomata, sibi que restitutus æger morbum fugisse cum egestis testatur humoribus. Saphenæ sectione, sanguinem, cum illius ad cerebrum eò celeritatis devenit imperus, ad inferiora revocare, frustra tentares. Siquidem, immutata, ob vacuati cruoris copiam, vasorum compressione, qui superest in arteriis venisque majoribus, dato liberiori spatio, rarefcit evolviturque magis, unde vividiori motu minimorum canalium pulsat frangiturque parietes. Nec aliâ de causâ, peractâ phlebotomiâ, vetereno corripitur æger immedicabili. Veluti cum, urgente febre ubertimque manantibus sudoribus, pulsus durities mittendi sanguinis necessitatem arguerit, is è parvo vulnere repetitisque vicibus educendus est, ne majori rarefcientiæ detur locus, & totus in vapores quasi faceffat & resolvatur. Verùm, si remittente febre, idem suadeant indicationes, sine largo flumine cruorem fundi. Indè scias qualem te deceat esse, vel in permittendis, vel in sistendis hæmorrhagiis. Parcitus tamen acidis indulgebis & phlebotoniæ, cum aliis jam decrefcientibus morbis lues supervenerit; præsertim si pluries antea jam missus fuerit sanguis, aut exhaustæ vires, aut non molesta febris. Tunc satis est absorbentibus, & decoctis incrassantibus ut orisæ hordei & id genus aliis, moras protervis humoribus injicere. Ut autem illa prosperè succedant, eo ipso momento propinanda sunt, quo sudores insoliti luem instare declaraverint. Ab istis remediis, quorum felices successus experti tam sæpe sunt ægrotantes, quisque sentiat, quæ sit adhibenda sudoriferis fides.

V.

PESSIME de febris nostræ causâ differunt, qui illius originem à lento repetunt sanguine. Nequè enim, velut in petechialibus quibusdâ affectibus, macularum pustularumve fontem, à cruoris in finibus arteriarum vel præ mole cespitantis, vel præ crassitie morantis, deducant. Nec, quemadmodum in febre miliari, lymphæ acfcientis, deviantisque seri errores, incusent. Aliam habent originem. Ideò in hac febre erumpunt pustulæ, quoddà putredine solvitur & ita tenuatur sanguis, ut per exilissimos cutis meatus sibi viam faciat. Putrescere posse sanguinem nullus inficias iverit, nisi quem lauerint illius principia. Idque citius fieri, quod fluidior ille est floridiorque, si sese putredinis offert causâ. Indè, sanguineos phlethoricosque contagiosis morbis obnoxios magis, quam melancholicos eosque quibus inest succorum textura densior, animadvertimus. Hinc, illâ grassante, vegetiores inquinari, senibus intactis & causariis, observatum est. Sed quid verbis opus est, dum sese sensibus putredo præbet aspectabilem? Dum putredinem ipsam exhalat corpus ægrotantium. Dum adeo liquatur dissolviturque sanguis, ut eductus in vasculis, & aëri frigidiori expositus vix ac ne vix quidem concrefcet. Dicent fortassè non nisi à præviâ stagnatione putredinem induci sanguini. Hæc quæ de benè multis affectibus vera dixeris, falsa sunt de febris putridæ de quâ loquimur origine. Nec diffitemur omnium ferè morborum causam ab humorum remora minimis in vasis pendere, & in plurimis cutaneis eruptionibus insignitis ægritudinibus, dari corruptionis quamdam speciem, quæ succorum debetur lentori. At secus se res habet in febre nostra, quæ à rarefcientiâ ducit originem, ita ut properent ad secessum, quæ communi vinculo sociabantur, liquidorum partes, statim atque nociva, ad communem humorum alveum pervenerunt, effluvia. Num aliud, quam jam liquatum sanguinem, indicant hæmorrhagiæ vel in ipsis morbi primordiis adeo enormes, ut ad tres quatuorve libras è naribus, citra pulsus debilitatem, stillaverit. Ægrotantes è quibus intra duos dies ad 36 vascula fluxit, constantibus interea viribus, ipsi vidimus. Nec si animo defecerit æger, dum ita sanguinis laxantur rivuli, credideris spirituosius calidisve medicamentis refocillandum esse. Solis acidis fugientem animam susti tunc opus est. Etenim, etiamsi totum pænè sanguinem exiisse, silens pulsus collapsaque membra fidem faciant, vix, cessante hæmorrhagiâ, superstiti minimis in vasis cruori ad majora via facta est, jam æstus, sudor, pustulæ micantesque artæriæ arietare sanguinem, & de novo rarefcere demonstrent. Tantra est humoribus ad-

divisionem proclivitas ! Undè inferre licet, quid ab istis remediis expectandum sit, quæ liquoribus negatâ tentantibus iter viâ stimulos addunt, eorumque dissolutionem promovent ulterius. At inquit, si quid venenati corpus subierit, nonne sudoriferis & cardiacis expellendum. Evolve, tum Veterum, tum Recentiorum, libros, omnes uno ore, in febribus vel purpurâ vel pustulis conspicuis, ad hydrotica confugere pronunciant. Absit ut hæc in re quidpiam mali suadeat auctoritas. Nec rationalem decet Medicum curare ex commentario aut libello, sed ut in quâvis re exercitata ratio dicat, neque ullis legibus debet obligari. Quod si acidis aliisque jam à nobis enumeratis remediis, præcaveantur effluviorum effectus & putredinis fomes extinguatur, à sudoriferis vero sanguis accendatur & illius acceleretur colliquatio, in promptu est consequentia. Siquidem acidorum ea virtus est ut humorum quos densant firmentur compagem. Sanguinis igitur particulis condensatis, & arctius inter se coherentibus, jam nec à se invicem separari, nec evolvi poterunt, unde sua servabitur humoribus crasis. Insuper, dum cruoris globuli compactiores ab acidis sunt, imminuatur illius velocitas, indeque resiliunt minus. 1°. Quod, decrescente sanguinis superficie, minus dilatantur arteriæ, proindeque resistentia, unde difficilius à corde protruditur. Ex his probè colliges, quanti momenti sint acidia, ad rarefactionem eamque celeri passu subsequenter arcendam putredinem. E contra mero meridie clarius elucescet, ex sudoriferorum, cardiacorumque usu, humorum jam ad putredinem vergentium motus intestinos augeri, unde eorum mixtio, forma & textura, citius destruuntur. Errant igitur qui non aliis hanc putridam febrem oppugnare nōrunt armis. Nec minus culpandi sunt, qui retrocedentes pustulas interruptosque sudores revocare tentant vesicantibus, ignari videlicet quid acris & caustici ferant in sanguinem cantharides. Quid plurâ, febrem hanc à liquato nimis sanguine nasci probant, illius symptomata, & quæ præcipuum curationis opus absolvunt, acidia de sudoriferorum in rarefaciendo & attenuando potentiâ, non ambigitur apud Medicos, eorum funestos exitus asserit experientia. Quapropter, si tibi cordi salus ægrotantium, ne dubites concludere.

Non ergo Febri Putrida Picardis Suetæ dicta Sudorifera.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. David Vasse,

M. Philippus Davier de Breville, Dotaria Hispaniarum Regina Medicus perpetuo ordinarius.

M. Petrus Azevedo.

M. Andreas-Josephus Seron.

M. Jacobus Trant, è Regiâ Scientiarum Academia.

M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius.

M. Thomas - Renatus Gafnier.

M. Petrus Maloet, Consiliarius & Medicus Regis ordinarius, nec non Domus Regiæ Invalidorum Ducum & Militum, Academia Scientiarum Regiæ Socius.

M. Jacobus Fourneau.

autor.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-FLORENTIUS BELLOT, Rojanus Ambianensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733, à sextâ ad meridiem.

Typis QIL LAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.